

tial matrimonij, nempe, vt id contractum sit coram parcho, & testibus: sed etiam premissis denunciationibus. Si enim illa omissa culpabiliter essent, nequiret commissarius dispensare. Quod constat ex ijs, quae diximus lib. 2. disp. 40. n. 4. vbi hoc latius exposui.

24. Hinc deducitur facultatem hanc commissarij ad dispensandum, esse quodammodo amplioem ea, quae conceditur Episcopo ratione vrgentis necessitatis: de qua n. 20. diximus: & quodammodo strictiore. Est enim amplior quo ad hoc, quia Episcopus nequit dispensare, quoties est recursum ad Pontificem, imò ad habentem ab eo dispensandi facultatem (vt probaui lib. 2. disp. 40. n. 3.) At commissarius potest, licet Pontifex esset praesens. Quia haec limitatio in eius concessione non adhibetur. Est autem strictior quoad hoc, quod commissarius in solo impedimento affinitatis ex copula fornicaria potest dispensare: & nunquam ante matrimonium initum: & coniuge altero certiori facto de prioris nullitate consensus. At Episcopus potest in omnibus impedimentis iure Pontificio dirimentibus, & aliquando ante initum matrimonium (vt late probauimus lib. 2. tota disp. 40.) Nec est viquequa; certum de considerari alterum coniugem certiore fieri de prioris matrimonij nullitate, vt de hac re late disputaui lib. 2. tota disp. 36.

25. Insuper est amplior potestas commissarij. Quia illi conceditur facultas legitimandi prolem ex eo matrimonio irrito susceptam. Et ita potest eam legitimare pro foro conscientiae solo quoad omnes ordines, & beneficia quouis. Quia absolute conceditur ei potestas legitimandi, vt docet Henriquez lib. 7. de indulgentijs, cap. 13. num. 5. sine. Cui tamen non assentio, in quantum ait prolem hanc succedere posse in bona temporalia. Quia haec dispensatio non est in radice matrimonij (vt constabit ex dicendis disput. sequenti, numer. 23.) At quando dispensatio non est in matrimonij radice, non trahitur ad bona temporalia (vt ibidem dicemus.) At Episcopus tantum potest eum illegitimo dispensare ad ordines minores, & ad quaedam beneficia simplicia cap. 1. de filijs presbyt. in 6. Sed est strictior, quia hic potest cum quocunque illegitimo dispensare, vt constat ex eod. cap. 1. ille vero cum habito ex solo matrimonio irrito propter impedimentum affinitatis fornicariae.

Dixi autem hanc prolem sic legitimatam non succedere in bona temporalia, virtute illius legitimacionis factae a commissario: de qua loquitur Henriquez, nam bene alio nomine succederet: nempe, quia est verè legitima. Nam habita est ex matrimonio, & quamuis irrito, adfuit bona fides in altero parente. Nam in hoc solo casu conceditur commissario facultas dispensandi (vt numer. 23. diximus.) Vnde in hoc casu erit proles legitima quoad vtrumque forum, & in omnibus cap. ex tenore, qui filij sint legit. Quare commissarius nil aliud efficit, quam declarare prolem susceptam esse legitimam, ratione bonae fidei ac suscipiendam, quia oritur à ex vero matrimonio. At potest hoc priuilegium in eo euentu operari, si postquam vterque contrahens nouit impedimentum, concepta, & nata sit proles, ante matrimonij dispensationem: tunc proles est illegitima, & nata in figura illius matrimonij irriti: & hanc potest verè legitimare commissarius pro foro conscientiae solo. Quia iam impletur conditio petita: eò quod verè initum sit matrimonium cum bona alterius fide. Quippe ea adert tempore contractus. At haec legitimatio erit tantum quoad res spirituales (vt dixi.) Alia verò de effectu huius legitimacionis in solo conscientiae foro, dicemus disp. 34. à num. 45.

26. Sed dubitabis, an casu quo proles fuit verè illegitima: quia habita iam concepta mala fide in vtroque parente consensio nullitatis illius matrimonij, possit à commissario legitimari iuxta facultatem eam illi concessam, non dispensando tamen vt validè inaeatur matrimonium: quia vel iam alter parens obiit, vel nolunt de nouo inire? Et videtur posse. Quia distinctae sunt facultates dispensandi in matrimonio, ac legitimandae prolis. Nec haec legitimatio à subsequenti matrimonio pendet, cum virtute illius legitimari nequeat, vt potè quae spuria est. Sed existimo nequaquam posse, nisi dispenseret quoque in matrimonio: imò licet dispenseret in matrimonio, ac legitimari prolem, credo eam legitimacionem pendere à matrimonio postea inuendo: ac proinde vim non habituram, nisi postea de nouo inaeatur. Quia Pontifex eam gratiam concessit, accessorie legitime contractus nuptijs inter prolis illius parentes, in ipsius matrimonij fauorem. Non ergo poterit non dispensando in matrimonio: vel dispensando, si id

matri-

matrimonium postea nõ subsequatur. At si Episcopus dispenseret in eo matrimonio, casu quo potest, iuxta dicta, numer. 20. vel alio commissarius Cruciatæ, nec eam prolem legitimasset, credo posse subsequenter potestatem commissarij vti haec potestatem prolis legitimandae, subsequente inter illos parentes vero matrimonio. Quia cum sit diuersa potestas à dispensatione in matrimonij impedimento, potest per diuersos exerceri, dum modo id matrimonium inaeatur, in cuius fauorem ea concessio facta est.

27. Cum autem potestas haec dispensandi tam Episcopo, quam commissario concessa, sit pro solo conscientiae foro, neutra est facienda publice, cum notario, & testibus, nec explicari debent nomina eorum cum quibus dispensatur, ne impedimentum fiat publicum: sed tacitis eorum nominibus debent expediri litterae, vt expediuntur litterae in sacra penitentiaria pro conscientiae foro concessae. Vel abque literis debet intimari dispensatio confessario, vel partibus ea indigentibus. Et ita de commissarij dispensatione loquentes docent Corduba in quaestionario, lib. 7. quæst. 43. dubio. 6. puncto. 1. 2. & 4. Manuel in bulla cruc. §. 13. n. 6.

28. Tandem duo monuerim. Prius est, aliquos asserere mendicantes habere priuilegium à Leone. X. concessum, ad dispensandum cum ijs, qui scienter, aut ignoranter

contraxere matrimonium cum impedimento affinitatis, modo id notorium non sit, nec in iudicio deducit. Sic affirmat Roffensis in libello de causa matrimonij Regis Angliae, in principio, & Venetiarum. 2. p. Speculi, art. 27. triplici pagina ante finem, vers. & hoc confirmatur expressa. Sed bene Manuel, 3. tom. q. regul. q. 2. art. 2. dicit id priuilegium nullatenus esse in usu: & se credere pro vno: solam fuisse concessum, & Henriquez lib. 7. de matrim. cap. 3. numer. 3. dicit hoc priuilegium non aliud concessisse, quam posse mendicantes dispensare cum incestuosis cum consanguineis coniugis, vt possint petere debitum: ac eo matrimonio dissoluto, ad aliud transire: non tamen cum affini, vel aliud impedimentum habentibus.

29. Posterius est, religiosos Societatis Iesu habere priuilegium à Pauli III. concessum, vt dispensare possint cum infidelibus ad fidem conuersis, qui in locis remotissimis existunt, & infidelitatis tempore iniere matrimonium in gradibus solo iure humano prohibitis, vt in eo permanere valeant. Sed hoc priuilegium ad maiorè abudantiam est (vt bene docet Henriquez lib. 12. de matrim. cap. 3. numer. 4.) Nam iuxta cap. gaudemus, de diuor. ijs, nulla dispensatio necessaria est. Quia matrimonium tempore infidelitatis initum contra solas leges Pontificias validum est.

## DISPUTATIO SEPTIMA.

An Pontifex possit dispensare in radice matrimonij irriti contracti, efficiendo dispensationem retrorahi, ac proinde legitimando prolem antea habitam, quoad spiritualia, & temporalia?

## SUMMARIUM.

AN Pontifex possit directe legitimare quoad temporalia? nu. 1.  
Quae quaestiones disputanda sint, nu. 2.  
An Pontifex dispensando in radice matrimonij irriti, possit prolem ex eo natam legitimare etiam quoad temporalia? Refertur opinio, nu. 3.  
Proponitur sententia Auctoris, nu. 4.  
An possit Pontifex absq; causa facere dispensationem hanc? nu. 5.  
Quid, si parentes iam obierint, & cedat in terram damnus? nu. 6.

Quid, si proles habita fuit absq; matrimonio etiam irriti? nu. 7.  
Quid, si id matrimonium fuerat irritum ob impedimentum iuris naturalis, ac diuini? numer. 8.  
Quid, si proles sit genita ex professo, vel in sacris constitutus? nu. 9.  
Quid, si matrimonium fuit irritum de defectu consensu? nu. 10.  
An Princeps secularis possit legitimare quoad Ecclesiastica prolem ex matrimonio irriti habitam? nu. 11.  
An dispensatio Superueniens confirmet pra-

Ff 4 senta-

sentationem ad beneficium, illiusve collationem, electionem, vel confirmationem, que irrita fuerunt? nu. 12.

Soluantur argumenta, nu. 13.

Post. n. 13. inuenies cetera summaria.

**Q**ua dispensationis huius difficultas participiatur, premitendum est, quantum aliqui Doctores variè senserint circa potestatem Pontificis ad legitimandum quoad bona temporalia, & officia secularia, extra loca temporalia sui iurisdictioni subiecta: verissimè tamen, ad receptissimam sententiam habere id non posse, sed tantum quoad beneficia, ordines, ac Ecclesiastica officia, & ratio est. Quia sicut Princeps secularis nequit legitime quoad Ecclesiastica: ed quod careat iurisdictione Ecclesiastica: cuius id est. Sic nec Pontifex extra ea loca potest quo ad temporalia. Quod in eis vater iurisdictione temporalis, cui id incumbit. Atque ita communiter tradunt Doctores, c. per venerabilem, qui filij sunt legitimi, & multis citatis Couar. 4. decret. 2. p. c. 8. §. 8. nu. 18. Molin. lib. 3. de primogen. c. 2. nu. 11. Peregrinus de fidei commissariis. art. 23. n. 11. alter Molin. tom. 1. de iust. tra. 2. disp. 173. initio. Quod communiter temperant Doctores. d. c. per venerabilem: & Couar. eodem §. 8. num. 16. nisi causa ardua accideret, in qua valde religioni Christianæ expedit ea legitimatio. Idque probat rextus. d. c. per venerabilem, ad finem. Quod bene intelligit Molin. d. disp. 173. initio, quando secularis Princeps ad quem alioquin ea legitimatio spectat, eam efficere renueret, aut non tam citò vellet, aut posset, ut res postulat. Quippe in ordine ad bonum spirituale, integrum est Pontifici secularium Principum negligentiam supplere.

**2.** Difficultas autem eò tendit, an hæc legitimatio possit quoad bona temporalia fieri indirectè à Pontifice erga personas sui temporalis iurisdictioni non subiectas, neque, dispensando in radice matrimonij irritè contracti? Quare duplex est quæstio irritanda. Prior est, an id possit Pontifex? Posterior, quando censeatur sic dispensare?

**3.** Quæstio prior. An Pontifex dispensando in matrimonij irriti radice, possit legitimare filios ex eo ante matrimonij dispensationem natos, in locis sibi, temporaliter non subditis, ita ut capaces sint officiorum secularium, ac successione bonorum temporalium? Id est, an possit efficere ut dis-

pensatio illa retrahatur ad tempus, quo id matrimonium irritum contractum est, ita ut censeatur quasi à principio fuisse validè inicum media illa dispensatione, ad eum effectum, ut proles ante dispensationem ex illo habita, sit quoad omnia etiam legitima, nõ aliter quàm si ex legitimo matrimonio nata foret? Et tota difficultas est, quando impedimentum ob quod id matrimonium fuit irritum, est iure Pontificio indutum. (nam quando est iure diuino, & naturali dicemus. n. 8.) Duplex est sententia. Prima sustinet id non posse Pontificè. Dicitur, quod cum iam id matrimonium irritum cum effectu proderit, ut proles sit illegitima, hæcque Pontifex eum effectum non esse proderit efficere. Ad præteritum enim nulla est potentia. Si ergo proles manet illegitima, incurrit damna inde iure sequuta: ac proinde ea reparare nequebunt, nisi Pontifex dispensante in eo iure, quo incurritur. At nequit dispensare extra loca sibi temporaliter subiecta, in iure ciuili, quo hæc damna quo ad successiones, & reliqua temporalia imponuntur. Non ergo poterit efficere ut sua dispensatio retrahatur ad hunc effectum inducendum. Et confirmatur, quia aut dispensare in radice matrimonij est efficere ut matrimonium illud reddatur ab initio validum. Et hoc non subest Pontificæ potestati, imò nec ut sit validum à tempore dispensationis concessæ: sed eius valor noui contrahentium consensum desiderat. Aut est tollere effectum ex eo matrimonio irritò productos. Et hoc non posse quoad effectus ciuiles extra propriam iurisdictionis temporalis loca, probauimus. nu. 1. Hoc enim esset directè legitimare prole quoad secularia. Secundò, quia factio, qua iura fingunt aliquid retrahi, exigit terminum à quo, & ad quem habilia, iuxta doctrinam Bartoli communiter receptam. I. si is qui pro emptore. nu. 4. & 28. ff. de usufructu: & docet Abb. c. tanta, sine, qui filij. sunt legitimi. At id matrimonium ab initio contractum, quod est terminus ad quæ huius factio retrahendæ, non est habile, cum sit prorsus irritum. Et confirmatur, quia nullo prorsus contracto antea matrimonio, non posse Pontificem sic dispensare fatentur omnes (vt. nu. 7. dicemus.) At cum id matrimonium sit irritum, perinde omnino est, ac si non esset contractum. Et id eò huius sententiæ sunt Anton. c. per venerabilem. nu. 10. sine, qui filij. sunt legitimi. Milis in

repor-

repororio, litera. D. nu. 23. verb. dispensatio, ad finem, verb. dispensatio Papæ. Molin. tom. 3. de iust. tra. 2. disp. 624. nu. 3. Ceruantes. l. 12. Tauri. n. 106. & sequentibus, & Additionator ad Nauarrum lib. 4. conf. in. 2. edition. tit. qui filij sunt legitimi. conf. 2. fin. ait Gregorius. XIII. anno. 1584. negat dispensationem huiusmodi à se petitam, ac addidisse se non posse sic dispensare.

**4.** At frequentissima, ac verior sententia habet id posse Pontificem. Dicitur, quia radix, & origo ex qua consergit ut proles sit illegitima, ac subinde incurrat illegitimitatis damna, siue Ecclesiastica, siue secularia, est lex Ecclesiastica, qua statutum est, ut id impedimentum in eo matrimonij contractu reperitur, illum dirimat: ac ea non stante matrimonium fuisse validum, ac proles legitima, nec ea damna incurrisset. At Pontifex potest suam legem irritare, & reuocare quoad effectum iure humano ex ea sequutos, & non tantum quoad in posterum incurrendos, efficiendo ut non incurrantur, sed etiam quoad iam incursum, abolendo illos, ac si ea lex edita nunquam fuisset, ut constat ex clem. vnica, de immuni. Eccles. vbi Clemens. V. reuocat quasdam prædecessorum constitutiones, etiam quoad effectus antea productos, ibi. *Quicquid ex eis sequutum est, vel ob eas, penitus reuocamus: & eas haberi volumus pro infectis.* Vbi Glossa, verb. pro infectis, & ibi Card. nu. 6. oppositione. 1. Anchar. n. 3. Imolin. 6. Abb. c. non debet, in fine, de consang. & affin. inde inferunt tantam esse Pontificis potestatem circa ea, quæ sunt iuris positivi, ut possit ea reuocare prout ex tunc, quado edita sunt: ac omnes effectus præteritos abolere, ac si nunquam edita fuissent. Ergo sic dispensans Pontifex in radice matrimonij, id est, in initio ipsius, reuocando impedimentum quod ipsum irritauit, ac si nunquam irritasset, efficiet ut dispensatio retrahatur ad matrimonij initium, ac proinde censeatur ac si id matrimonium fuisset ab initio validum, nullo impedimento irritanti existente: in quo casu proles esset vere legitima quoad omnia. Et confirmatur, quia hoc non est directè dispensare in lege ciuili, & effectibus eius, sed indirectè, & per quandam consequentiam. Quia, scilicet, lege ciuili incurritur ea damna à prole, supposita legis Ecclesiasticæ irritantis prædictum matrimonium firmitate: ex qua subsequitur est,

ut matrimonium sit irritum, & subinde proles ex eo concepta, illegitima, ac subdita omnibus illegitimitatis damnis iure ciuili statutis. Cum ergo Pontifex sua dispensatione in ipsa matrimonij radice tollat directè firmitatem illius legis Ecclesiasticæ, eaq; prorsus aboleat, perinde ac si lex illa nunquam prodidisset, efficiet indirectè, & per quandam consequentiam, ut ea omnia damna cessent, ut pote quæ ex legis Ecclesiasticæ firmitate pendebant. Et adhuc expliatur magis hæc ratio. Non enim dicimus posse nunc Pontificem efficere, ut id matrimonium fuerit à principio firmum: vel nunc incipiat valere absque nouo contrahentium consensu, vel ut ex eo non sint sequuti effectus iure ciuili statuti. Hæc enim omnia aperte non subsunt Pontificæ potestati. Sed tantum dicimus eam esse Pontificis potestatem, ut possit dispensando prout ex tunc in ipsa matrimonij irriti radice, delere, ac reuocare omnia damna quocumque iure humano inde incurra, ac in eum statum prolem restituere, quem haberet, si ex matrimonio valido orta fuisset. Destructio enim legis Ecclesiasticæ valore, cui tanquam fundamento illegitimitatis, ac cetera damna innitebantur, illa omnia corrumpit. Sed dices hoc tantum probare de damnis iure Pontificio sequitis: fecus de sequitis iure ciuili. Cum enim nequeat Pontifex in hoc iure dispensare, nequebit quocumque in effectibus ex eo consequentibus. Sed respondeo non posse directè in his dispensare: ad posse indirectè, & per quandam consequentiam, destruendo legem suam Ecclesiasticam, ex qua tanquam ex fundamento illa omnia pendebant. Tandè quia multa possunt fieri indirectè, & per quandam consequentiam, quæ directè, & principaliter fieri nequeunt. Sicut ius patronatus non potest per se, ac directè vèdi absque labe simonia, eum tamen in consequentiam vendatur vèditò fundo, cui est annexus, c. ex literis, de iurepatr. Sic ergo licet Pontifex nequeat directè dispensare in iure ciuili, ac eius effectibus, poterit utique indirectè, & per quandam consequentiam, modo expolito. Et id eò huius sententiæ sunt, Ioan. Andr. c. per venerabilem, nu. 30. qui filij sunt legitimi. & ibi Abb. n. 22. Cardin. nu. 9. q. 1. Anchar. n. 21. Alex. de Neuo. n. 18. Preposit. ibi. §. quod autem. n. 74. idem Abb. c. literas. n. 17. fin. de restit. spoliat. idem Anchar. c. vnica. n. 3. de Sponsal. in 6. & clem. vnica, sine, de immuni. Eccles. & consilij. 409.

num.

nu. 6. 7. Felinus. c. quæ in Ecclesiarum, n. 21. vers. secundò amplia, de constitut. Curtius senior conf. 73. nu. 7. Cassianus conf. 43. n. 17. Gulielmus Benedictus. c. Raynuntius. verb. & vxorem in principio. n. 202. & 203. de testam. & refert ita decisum fuisse Normandiæ per Arrestum. Buel. de sponsal. conclus. 24. n. 2. Iacob. de Puteo referens sic in Rota decisum, decisione. 483. n. 2. & 3. lib. 2. Nicolaus de Vvaldis de successione ab intestato. 1. p. n. 106. Antonius de Rosellis de legitimatione, lib. 2. in principio. n. 19. & 20. Martinus Laudensis de legitimatione, art. 2. n. 87. & 96. Boerius decisione. 264. n. 26. Celsus conf. 31. n. 7. & triplici sequenti. Benedictus de Barzys de filijs non legitim. nat. num. 44. Gozadinus conf. 6. nu. 63. Capra confil. 1. nu. 8. Zephal. conf. 307. n. 34. vol. 3. Rosella verb. illegitimus. n. 15. Angelus verb. Papa. n. 4. & verb. legitimatione. n. 7. Sylu. verb. Papa. fine, & verb. legitimus. q. 4. & q. 7. di. 5. Armil. verb. legitimus. n. 2. & ibi Tabiena. q. 2. num. 3. Nauar. libr. 4. confil. in prima editione, tit. de sponsal. conf. 3. n. 12. & nu. penultimo: & tit. qui filij sint legit. consil. 1. nu. vltimo, in secunda editione, eodem tit. qui filij sint legit. conf. 2. n. 12. & n. penult. Coar. 4. decret. 2. p. c. 8. §. 8. nu. 13. Molina lib. 3. de primog. c. 2. n. 12. Rojas epitome success. c. 23. n. 13. Anton. Gabr. tom. 3. commun. opin. lib. 6. tit. de legitimatione, c. 61. n. 1. & 2. Borgos. de irreg. 2. p. tit. de interpretatione, extensione, & restrictione dispensationis. n. 19. Anastas. Germon. de sacrorum immunitatib. lib. 3. c. 11. n. 105. Maiol. de irregul. lib. 1. c. 4. n. 20. Peregrin. de fideicom. ar. 23. n. 7. & art. 24. n. 80. Humada. l. 2. glof. 10. n. 8. tit. 15. p. 2. Et ex Theologis Henriquez libr. 11. de matrim. c. 20. n. 2. Ludouicus Lopez 2. p. instr. vbi de matri. c. vltimo, col. 2. conclus. 3. Sayro thesauro casuum, to. 1. lib. 6. c. 10. n. 27. & c. 11. n. 6. Et his diebus in hoc prætorio Granatensi sententia pars hæc definita est.

Dubitandum tamen non est, graue culpam à Pontifice admittendam, si absq; causa legitima dispensationem hæc concederet: quauis valida esset, vt pote que in solo iure humano facta sit. Quia cedit in graue damnum succedentium in eam hæreditatem, si proles non legitimeretur. Sic Nauar. lib. 4. confil. in prima editione, tit. de sponsal. confil. 3. nu. penultimo, & finali,

in. 2. eo lib. 4. tit. qui filij sint legit. confil. 2. num. penult. & finali.

Ex his deducitur primò, posse quoque hæc dispensatione in radice matrimonij fieri à Pontifice, quauis ita parentes prolis, qui irritum matrimonium inierant, obierint. Quòd dispensatio hæc non inritum ablationi prioris impedimenti dirimitis, vt valide nunc in eatur matrimonium: imò id de nouo valide iniri, nil prorsus ad hoc cõfert: sed tantum inuitur reuocationi legis Ecclesiasticæ, qua prius matrimonium irritum fuerat, facta ex nunc, quando matrimonium cõtractum est, ita vt aboleatur effectus inde producti. (vt. n. 4. explicuimus.) Atq; ita docet Anchar. cõf. 409. num. 6. Boerius decisione. 264. nu. 26. Iacobus de Puteo decisione. 483. num. 2. lib. 2. Angelus verb. Papa. n. 4. & ibi Sylu. fine. Nauar. lib. 4. confil. in prima editione, tit. de sponsal. conf. 3. n. 10. & præcipuè num. penultimo; in. 2. tit. qui filij sint legitim. conf. 1. à num. 10. Molina libro. 3. de primog. c. 2. nu. 12. fine. Peregrinus de fideicommissis, art. 24. fine. Sayro thesauro casuum, tom. 1. lib. 6. c. 11. nu. 6. Quod quidem non caret difficultate, si cedat in tertij præiudicium, eo quòd sit auferenda hereditas parentum illius prolis agnatis, vel alijs filijs, qui in eam successerant, possessionemq; eius apprehenderant. Angelus, & Sylu. proximè allegati id fieri posse per Pontificem negant. Sed de dupliciter hæc dispensationem posse à Pontifice concedi. Primò ex voluntate parentis, cui succedenti, qui adhuc superstes petijt sic dispensationem expediri, aut iussit peti: & tunc potest à Pontifice concedi, non obstante eo præiudicio. Ex doctrina Bartoli, & aliorum, l. Gallus. §. & quid sit tantum, ad finem. ff. de liber. & posth. Et ita profitentur Iacobus de Puteo, & Peregrinus alios referens proximè allegati. Secundò, quando is parentis consensu non præcessit: & in hoc euentu est multò maius dubium, & id negat Iacobus de Puteo ibidem. Quia fictio non potest retrò fingere post dissolutum matrimonium, & ius alteri questum. At melius id concedit Peregrinus cum Ancharano proximè allegato: Quod idem sustinere videntur ceteri allegati: cū indistinctè sustineant posse hæc legitimationem fieri post parentum obitum, referentes pro se Ancharanum, qui hoc expressè tenet. Et ratio est, quia

non

non potest dici, non præcessisse in hoc euentu matrimonium, saltè in figura, & affectu. Que figura multum operatur. l. 3. ff. de donat. inter vir. & vxor. c. plerq; eodem tit. c. nuper, de bigam. Cùm ergo canonica Lex fuerit causa irritando matrimonium, vt ea hereditas deferatur, ac deuoluatur in alios successores, poterit Pontifex id ius questum auferre, reuocando eam legè pro vt ex tunc, quoad effectus iam productos. Quippe ea conditio tacitè inerat, cùm hæreditas est deuoluta. At credere noluisse Pontificem iuri aliorum acquisito derogare, nisi ex certa scientia hoc fecisset. Quia in dubio clausula in rescriptis Principum apposita intelligitur sine tertij præiudicio, vt per textum in. l. 1. §. si quis à Principe. ff. ne quid in loco publico, tradunt Salycetus. l. generaliter. §. cùm autem nu. 7. c. de institution. & sublit. Hippolitus Rimip. confil. 46. n. 32. volum. 11.

Secundò deducitur, quando proles habitata fuit nullo præcedenti matrimonio irritato, sed ex cõcubitu omnino fornicario, non posse Pontificem eam quoad tẽporalia, & secularia legitimarè, extraloca sue tẽporalis iurisdictionis. Quia cùm nulla sit matrimonij radix, in qua directè dispensatio, legitimet indirectè: & per quandã consequentiam: id esset vtq; legitimarè directè quoad tẽporalia. Quod sua potestatis minimè esse diximus. nu. 1. Et ita sententur Ioan. Andr. c. per venerabilem, nu. 30. qui fil. sint legit. & ibi Anron. n. 10. ad finem. Card. n. 9. q. 1. Abb. nu. 21. Alex. de Neuo. n. 17. Anchar. n. 21. & conf. 409. n. 4. & c. vni. co. n. 3. de sponsal. in 6. idem Abb. c. lites, num. 27. fin. de restit. spoliat. Angel. verb. legitimatio. n. 7. Syl. verb. legitimus. q. 7. di. 5. Celsus confil. 31. nu. 8. Martin. Laudensis de legitimatione, art. 2. n. 85. Peregrinus de fideicommissis ar. 24. n. 76.

Tertiò deducitur, nec id posse Pontificem, quando matrimonium irritu erat ob impedimentu iuris diuini naturalis. Quia radicem nullitatis illius matrimonij, cùm sit impedimentum iuris naturalis, nequit Pontifex dispensando auferre. Et quauis diceremus posse in casu peculiari, at eum non omnimoda potestate in eam impedimentu gaudeat, ac circa iuris Pontificij impedimentum, nequit ea dispensando tollere, quoad effectus ex eis ante dispensatione productos, & ita sustinent Ioan. Andr. Anron. Abb. Alexan. de Neuo, Anchar. d. c. per venerabilem, nu. 12. & alio duplici lo-

co citato. Celsus, Peregrinus, num. 77. vbi eos, num. præcedenti allegauit. Felin. cap. quæ in Ecclesiarum, numer. 2. vers. 2. amplia, de constit. Chaffanzus confil. 43. numer. 17. Nicolaus de Vualdis de successione ab intestato. 1. p. num. 106. Antonius de Rosellis de legitimatione, lib. 2. in principio, nu. 18. Martinus Laudensis de legitimatione, ar. 2. nu. 86. & 96. Angelus, verb. Papa, nu. 4. & ibi Sylu. fine. Capra confil. 1. numer. 10. Brunellus de sponsal. concl. 24. num. 2. Molina lib. 3. de primog. cap. 2. num. 12. Borgasius de irregul. p. 2. tit. de interp. extens. & restrictione dispensationis, nu. 19. Quare non est audiendus Cardin. d. c. per venerabilem, nu. 9. q. 1. dicens posse Pontificem in hoc casu. Huius limitationem subijciam. n. 10. fin.

Quartò deducitur, quid dicendũ sit de prole genita ex professo, vel in sacris constituto? Ioan. Andr. c. per venerabilem. n. 30. qui filij sint legit. Abb. ibi. n. 21. Anchar. n. 22. dubij manent. Nam quauis faciant solo iure humano dirimi in vtroq; casu matrimonium: quia tamen iure diuino naturali impeditur ratio voti, dubitant an possit Pontifex ita dispensare in radice huius matrimonij, ac dispensat, quando solum iuris Pontificij impedimentum adest. At Alex. de Neuo cap. per venerabilem. n. 18. qui fil. sint legit. dicens in hæc partem inclinare Authores prædictos, qui dubij manent: & Maiolus lib. 1. de irreg. cap. 4. n. 21. & 22. concedit in vtroq; casu id posse. Quòd in vtroq; sit solo iure humano irritum matrimonium: nec in hæc vlla impedimentum solum impeditum iure naturali habenda sit ratio. Quia eum ex ea parte non impeditur sit matrimonij valor, non inde illegitimitas, & cetera damna pullularunt. Atque reatè meo iudicio id asserunt, sustinendo opinionem probabilem dicentem votum professi solo iure Pontificio dirimere. Qui autem nobiscum tenent dirimere iure naturali diuino, dicent non posse sic dispensare in radice eius matrimonij, iuxta ea quæ. n. præcedenti diximus. Quia licet valeat Pontifex dispensare in hoc impedimento (vt disput. sequenti dicemus), nequit tamen ita plene, atque quoad effectus præteritos, ac quando est de solo iure pontificio impeditum. De voto autem ordinis sacri non dubito quin possit Pontifex dispensare in radice illius matrimonij cum eo ordine initi. Quia fere certum est, solo iure Ecclesia-

stico

sico dirimere matrimonium, & ira de hoc voto tenet Cardin. d. c. per venerabilem. n. 9. q. 1. sine.

10 Quinō deducitur, quādo matrimonium fuit nullum defectu consensus in vtroque, vel altero contrahente, non posse Pontificem dispensare in radice illius. Quia est iure naturali irritum: nec potest eius radicem tollere supplendo consensus, & ita farentur vniuersi Doctores. nu. 8. allegati. Hoc autem, & dicta nu. 8. limitantur vt vera sint, quando impedimentum iuris naturalis, & defectus consensus certa essent: vbi autem de his dubitaretur, posset Pontifex in radice matrimonij dispensare. Sic Anton. de Rosellis de legitimatione. lib. 2. in principio, num. 16. 2. 2. Molina lib. 3. de primog. cap. 2. numer. 12. & idem ait Antonius. d. c. cap. per venerabilem, num. 10. sine, asserendum esse, retēta sententia, vt id possit Pontifex, quando impedimentum est solo iure Pontificio inducū. Quia in hoc dubio nō est spoliandus possessio- nem potestatis, quam habet.

11 Vltimō deducitur Principem secularem nullaratione posse legitimare prolem habitam ex matrimonio irritō, vt capax sit ordinem, aut ceterorum Ecclesiasticorum. Quia id dicitur non posse constare, defectu iurisdictionis spiritualis, cuius est hoc: nō posse verō indire dē, inde etiam patet. Quia cūm hodie sola Ecclesia possit impedimenta matrimonij dirimere, & ita statuere (vt diximus lib. precedenti, disp. 3. num. 4.) nec Princeps secularis possit in eis dispensare, nequit radicem matrimonij irriti tollere, vt vel sic ea legitimatio subsequatur. Atque ita tenent Ioan. Andr. c. per venerabilem, num. 30. qui filij sint legit. & ibi Anton. n. 10. Marius Laudensis de legitimatione, art. 2. nu. 85. Rosella, verb. illegitimus. n. 15. Tabiena, verb. legitimus. q. 2. n. 3. vbi Armilla. nu. 3. At id posset Princeps secularis, si Ecclesia non interdixisset illi impedimenta dirimentia matrimonij statuere, & matrimonium esset irritum ob solum impedimentum lege illius statutum. Quia cūm eandem habeat potestatem in leges seculares, ac Pontifex in Ecclesiasticas, sicut hic potest Ecclesiasticas abolere quoad effectus omnes inde sequutos, ita quoque ille poterit idem circa leges seculares.

12 Tandem id obseruatur, sum quoque esse quā tribui ab aliquibus doctoribus dispensationi superuenienti, vt confirmet ali-

quando actus præcedentes irritos, v. g. præsentatio alicui ad beneficium, electio, confirmatio, vel collatio irrita erant defectu aliquo obtinentis beneficium vt quia erat irregularis, si hic postea irregularitatis illius occulte dispensationem obtinet, id ipso abique noua præsentatione, collatione, vel electione potest licite retinere beneficium illud. Sic tradunt Speculator. tit. de dispensatione. §. nunc de Episcoporum, num. penultimo. Innoc. c. e. innōuit, nu. 2. verū quidam tamen contradicunt, de elect. & ibi Host. nu. 2. Ioan. Andr. nu. 5. Anton. nu. 11. & 12. Anchar. nu. 2. notabili. 3. Sebastianus Sapia ibi addit ad Abbatem, nu. 11. littera B. allegans Calderin. in Milis in repertorio, littera D. nu. 23. verb. dispensatio, verū dispensatio valida electionem. Felinus. c. cū dilectio, nu. 4. de accusat. Nauar. lib. 4. consil. 2. editione, tit. de sponsalibus, consil. 14. nu. 6. argumento. §. iudicō, nu. 14. in solutione ad §. Borgasius de irregul. 2. p. tit. de differentijs terminorum nu. 9. Et quamuis hoc quidam temperent, (vt refert Innoc. ibidem) vt intelligatur quando dispensatio concessa est a superiorē quā id beneficium conferre poterat, quasi dispensatio videatur de nouo conferre. Imō Cardin. d. c. innotuit, nu. 5. oppositio- ne. 3. ait hoc solum procedere in dispensatione pontificia, atque scienter facta. At Speculator, Innoc. Host. Ioan. Andr. Anton. Anchar. proxime allegati moderatione hanc reprobant, dicentes doctrinam traditam habere verū, siue dispensans habeat potestatem conferendi beneficij, siue illa careat. Sed Abbas d. c. innōuit, nu. 11. recedit ab hac doctrina, & ita distinguit dum censet. Si vitium electi erat eius generis, vt non reddat nulla ipso iure presentationem, collationem, electionem, vel confirmationem, sed facultatem cassandi concedat, tunc sufficere dispensatio sequens absque nouo consensu eorum; quibus presentatio, electio, confirmatio, vel collatio incumbunt. Aut reddit nulla ipso iure, & tunc ait posse sustineri prædictam doctrinā, dummodo id vitium notū esset his. Quia non possunt allegare nullitatem ex factis ipsis cognito: argumento ex c. nulli. de elect. in 6. Sed debet in priori consensu perseverare. Si autē ignorabat id vitium tempore presentationis, electionis, confirmationis, collationis, ait nō sufficere dispensationem, sed nouū eorū consensum desiderari, quo vellit stare priori illi actū. Quia ex d. c. nulli constat

posse

posse electores impugnare electionē propriā ex factō eis de nouo electio. Et quidē hæc sententia Abbatis est probabilior. Quia prior caret solido fundamento. At posset prior tanquā probabilis, ac tuta amplecti, propter tot, tantorūque doctorū auctoritatē et consuetudinem tamē aliquibus conditionibus. Prima est, vt vitium id ob quod hi actus fuerunt irriti, sit occultum. Quia cū tunc illi validi sint quoad forum externū, nō omnino sunt irriti, sed aliquid sunt quoad Ecclesiam: atque proinde nō mirum, si dispensatio superueniens, vt potest quæ aliquod valoris fundamentū inuenit, eū valorem quo ad forū conscientie cōfirmet. At quando ij fuere omnino nulli in vtroque foro, cū nullū valorem inueniat ea dispensatio in actibus præcedentibus, nō inuenit quid confirmare possit. Sic Anton. Felin. Nau. proxime allegati. Et verē ceteri doctores citari in hoc casu loquuntur. Nā agūt ibi de irregularitatis occulte dispensatione impetrata. Et potest hoc probari a simili. In dispensatione pontificiā nil operari posse circa radicē matrimonij diximus. n. 7. quando salte figuram matrimonij non inuenit. Sic ergo hæc dispensatio nil potest prodesse, si non inuenit figuram aliquā prædictorū actū, quia salte in foro externo validi reputantur. Secunda cōditio est, dummodo non sit in tertij coelecti præiudicium, qui cū prior electio sit nulla, ius habet ad rem. Sic Speculator, & Milis proxime allegati. Tandē dummodo beneficiarius ille non acceptarit scienter cum vitio illo collationē beneficij. Tunc enim esset intrusus, ac proinde oporteret non tantū prioris vitij dispensationē obtinere, sed illius quoque intrusionis. Cū tunc respectu illius beneficij sit duplex canonicum impedimentum. Alterū prioris vitij: alterum autē intrusionis. Et constat, quia etiam impetratio expressa illius beneficij, non facta intrusionis mentione esset irrita, vt multis citatis tradit Menochius lib. 2. de arbitrar. centuria. 3. casu. 201. nu. 12. 9. Existimo tamen impetrata dispensatione vtriusque vitij occulti, ratam fieri priorum collationem. Si amplectamur priorē sententiam probabilē dicentem indistincte conualescere collationem, habitam dispensatione vitij occulti. Quod si nō acceptaret collationem, sed tantum presentationem, aut electionem, non diceretur intrusus. Quia intrusus dicitur, qui abfque canonico, & legitimo titulo, sed vi-

tio beneficio caput. vt bene docent Rebuffus praxi beneficiorum, regula de subrogandis colligit. glossa. 4. numer. 5. Sylu. & reliqui summorum auctores, verb. intrusus. Nauar. summa latina. cap. 27. numer. 19. 4. hispana cap. 28. addit. ad numer. 28. c. 27.

Ad argumenta. n. 3. proposita respondetur. Ad primum & cōfir. constat ex dictis n. 4. vbi explicuimus quid sit dispensare in radice matrimonij, & tunc in dire dē solū dispensare Pontificem in iure civili. Quod ei licet. Ad secundum dic ad hunc sensum exigi habilitatem vtriusque, extremi, non vt prius matrimonium sit omnino validum, sed vt de facto sit initum, ac proinde figuram matrimonij habeat. Ad cōfir. constat ex dictis, num. 7. vbi longe diuersam rationem esse probauimus, vbi nulla matrimonij figura præcessit. Ad responsum Gregorij. XIII. relatum n. 3. sine, dic de illo non constare: atque fuisse responsum tanquam doctores priuati, quod d' forte prioris fuerit opinio.

#### SVMARIVM.

Quando nullo precedenti matrimonio, petitar dispensatio ad incedendum, si Pontifex legitimet probem ab inuitibus habitam, an ea legitimatio sit etiam quoad temporaliam, nu. 14.

An si facta ea legitimatione parentes nō iniret matrimonij, ad quod dispensans Pontifex, maneat proles legitima quoad aliquā, nu. 15.

An si ordinarius, vel confessor, qui dispensationem exequitur, non explicuit se legitimare prolem, maneat legitima, nu. 16.

An possit posse eam ordinarius, aut successor, aut idem confessor, vel alius legitimare prolem illam, nu. 17.

An si matrimonio inualido imito dispense Pontifex vt valide inear, censetur dispensatio facta in radice, ac proles legitimetur, nu. 18.

An si illa proles concepta ante dispensationem, ea impetrata nasceretur, sit naturalis, & legitimetur per subsequens matrimonium, nu. 19.

An si Pontifex dispensans vt irritum matrimonium iterum inear, dispenset simpliciter cum prole inde habita, sit dispensatio in radice, aut proles illa quoad aliqua legitimetur, nu. 20.

Quid, si tunc explicaret Pontifex se prolem legitimare, nu. 21.

Quid,

*Quid, si explicaret se dispensare in matrimonio illo, ut ex tunc legitimus censetur: vel si diceret se in eo dispensare ut ex tunc n. 22.*

*Quid, si dispensaret ut valide iniretur, addita clausula, prolem susceperam, ac suscipiendam legitimam decernendo? nu. 23.*

*Quid, si dispensaret concedendo licentiam permanendi in eo matrimonio irrito? Refertur quaedam sententia. n. 24.*

*Explicatur sententia auctoris in hoc casu, & quando etiam additur, ut proles efficiatur legitima. n. 25.*

*Satisita argumentis, nu. 26.*

*Quid, si Pontifex utatur verbo, legitimamus matrimonium? Refertur opinio. n. 27.*

*Proponitur sententia Auctoris, nu. 28.*

*Quid, si in dispensatione adderet Pontifex, vel se ut proles succedat, ac si ex legitimo matrimonio esset oratus? nu. 29.*

14

**Q**uestio posterior. Quando censetur Pontifex in radice matrimonij irriti dispensare, ita ut omnino debeat illegitimitatis prole vitiū: reddatque ipsam capacem successione, & ceterorum temporalium? Hanc rem, quæ grauissima est, conclusionibus aliquibus explicabo. Prima conclusio sit, Quando nullum erat initium matrimonij, & dispensatio petitur ad illud ineundum, explicata Pontifici copula, & apponitur clausula apponi solita de stylo curiæ, quæ est: *ut non obstante impedimento matrimonij inter se contrahere libere, & licite valeant, auctoritate nostra dispenses, prolem susceperam, si qua sit, & suscipiendam legitimam decernendo.* Et quando dispensatio est in solo conscientia foro ponuntur eadem verba, addendo illis verbis vltimis, *Legitimam decernendo in foro conscientia tantum:* tunc non dispensatur in radice matrimonij, nec ut proles ante dispensationem suscepta sit legitima quo ad temporalia, sed solū quoad spiritualia. Constat, quia iuxta dicta numer. 7. cum nullum matrimonium præcesserit, nequit Pontifex dispensare in radice, nec legitimare prolem quoad temporalia. Ergo ea verba de sola legitimazione quoad spiritualia sunt accipienda. Duplex autem obiectio, quæ contra hoc fieri potest, soluetur, numer. 16. Imò virtute huius clausulae non legitimari prolem susceptam quoad temporalia credo, quamuis iij cum quibus dispensatur, sint in locis temporalis iurisdictionis Pontificis. Quia ea clausula communis est dispensationibus

omnibus vbi que degentium: quare non censetur diuerso modo apponi erga quosdam, quam erga alios. Adde Pontificem tunc non dispensare, ac legitimare, ut est dominus temporalis eorum oppidorum, sed vt pastor est totius Ecclesiæ. At legitimatio quoad temporalia non incumbit illi, quando non dispensat in radice matrimonij irriti, nisi quatenus dominus temporalis est. Tandem quia cum dispensatio quoad temporalia sit multò maioris considerationis, non est credendum mentem Pontificis esse, velle eam concedere verbis tam generalibus, & de communi stylo curiæ in omnibus dispensationibus, vbi adfuit copula apponi solitis.

Si tamen facta dispensatione, & legitimazione proles susceptæ, parentes penitentia ducti non inirent matrimonij, credo eam prolem susceptam nullatenus fore legitimam. Quia in fauorem matrimonij inter parentes proles ineundi concessit Pontifex eam legitimacionem, nullatenus aliàs concessurus. Nulla enim alia ratio iustam reddens hanc legitimacionem occurrit. Ergo ea legitimatio facta per ordinariū, vel confessorem, pendet à matrimonio postea ineundo: & illo non inito cessat, quasi cessante causa.

Duo tamen monuerim, prius est. Sicut antequam ordinariū, vel cōfessariū dispense in eo matrimonij impedimento, id nō manet ablatū, & matrimonij contractū erit irritū: ita quāuis is dispense in impedimento, & sic matrimonij validè in eatur, si non explicuit se quoque dispensare ut proles sit legitima antea habita, ad nil legitima manebit. Secus est de prole suscipienda post matrimonij initum: illa enim quoad omnia manebit legitima, quamuis nil circa illam decernat ordinariū, vel confessor, sed tantū dispense in impedimento. Ratio discriminis est: quia proles post matrimonij suscipienda, est ex natura rei legitima, ut potè quæ ex vero matrimonio nascitur: at proles suscepta non legitimitur ex vi matrimonij subsequens: eò quòd est spuria. Iuxta notata, cap. tanta, qui filij sint legit. nec etiam ex vi præcedentis. Cum nullum interuenerit. Quare solū legitimitur ex decreto ordinarij, vel confessoris, cui ex æquo committitur, vt reperta precum veritate dispense in impedimento, & decernat prolem susceptam legitimā. Sicut ergo non manet dispensatū in impedimento, donec ordinariū, vel

15

16

con-

confessor dispense: sic nec in prole illegitimata. Cū in neutro dispense Pōtifex, vel penitentiarius, sed committat dispensandum, si proceus veritate nitantur. Sed obijcies, quo pacto idemmet verbum, decernendo, capiat proprie pro decreto interponendo respectu prole susceptæ: & impropro pro declarando respectu prole suscipiendæ, & hoc in eademmet oratione. Respondeo id fieri posse respectu diuersorum, vt constat ex c. capitulum, in fine, de rescript. in 6. iuncta Glossa finali, vbi verbum, relaxetis, sumitur proprie respectu excommunicationis valide: & impropric, & ad cautelam respectu excommunicationis irritæ, & late post appellationem, vbi & alios similes textus adducit Glossa. Et si iterum obijcias, æquiparari vtrāque prolem. Si ergo suscipienda legitimitur in omnibus: similiter & suscipienda. Contra ea quæ nu. 14. diximus. Dic non equiparari in omnibus, sed quoad hoc, vt vtrāque legitimitur: at diuerso modo. Quia suscipienda legitimitur ob verum matrimonij, ex quo nascitur: & ita quoad omnia. At suscepta ex vi solius illius dispensationis, quam ad sola spiritualia esse probauimus. n. 14.

17

Posterior est. Si ordinariū, vel confessor, qui dispensauit, omisit decernere prole susceperam legitimam, poterit id decernere quando cunque, durante eius officio. Quòd nondū officio plene functus fuerit, partē sibi commissam omittēs. Quòd si iam ille deposuerit officium, vel obierit, vel absens fuerit, successor in officio poterit exequi. Sicut si cepta cause cognitione id cōtigit. Quòd ea commissio nō persona: sed tribunali vicarij Episcopi commissio sit. Imò possit alius cōfessariū magister in theologia, vel doctor in iure canonico ex approbatione ordinarij adiri, quāuis prior qui dispenseauit in impedimento cōsuli possit. Quāuis secus sit in ordinario. Quia (vt dicemus disp. 27. n. 38. 39. 40.) ordinariū eū sit iudex in foro externo, semel cepto iudicio ita manet iudex, vt alius adiri nequeat, nisi successor in officio sit. At eū cōfessariū sit iudex in foro conscientia, quāuis ceperit iurisdictione vtriusque adiri alius. Atque hæc duo possunt data opera à diuersis peti. Sicut dū virtute bullæ, vel iubilei conceditur cōfessario potestas absoluenti à reuerentiis, & cōmutandi vota, potest penitens quandam cōfessariū adire, vt à reuerentiis absoluat: & alium vt vota commutet.

Secunda cōclusio. Si dispense Papa vt matrimonij semel contracto inualide ob impedimentum iure Pontificis dirimens, id iterū in eatur, certū est eam dispensationē nullatenus porrigi vt proles ante dispensationem nata legitimitur aliquo modo. Quia cū dispensatio sit stricti iuris, nō extenditur ultra expressa. At dispensatio solū fuit ad matrimonium ineundum, nulla prole mentione facta: nec potest dici eam prolem in consequentia matrimonij legitimari. Cū sit spuria. Et ita alijs citatis docent Coua. 4. decret. 2. p. c. 8. §. 8. num. 13. Molina lib. 3. de primog. c. 2. num. 10. alter Molina tomo 3. de iust. tract. 2. d. 1. §. 624. n. 3. sine Ludou. Lopez. 2. p. instr. d. vbi de matrim. c. vltimo, col. 2. conclus. 3. & fatentur omnes.

19

Dixi data opera, quando proles ante dispensationem nata est. Quia si proles illa quamuis ante dispensationem concepta nasceretur post dispensationem expeditā ab ordinario, & ante initum matrimonium, esset naturalis, & per cōsequens legitimaretur quoad omnia per subsequens matrimonium inter parentes illius contractum: iuxta c. tanta, qui filij sint legit. Ratio est, quia licet iure casareo aliquæ conditiones desiderarentur, vt proles esset naturalis, at iure regio Hispania. l. 1. Tauri, quæ hodie est. l. 9. tit. 8. lib. 7. recopil. regia, satis est vt tempore conceptionis, vel natiuitatis proles potuisset consistere matrimonium inter eius parentes, absque dispensatione pontificia. Quod idem iure canonico statutum est, vt tradit Abb. d. cap. tanta, in fine, & optime Couar. alios referens. 4. 2. par. cap. 8. §. 2. num. 2. dicens esse commune sententiam. Spino Speculo testamentorum, glossa. 15. numer. 118. 119. quamuis contrarium sustineat alios referens Sarmiento lib. 1. select. c. 5. num. 10. & Couar. d. 5. 2. num. 2. in posteriori editione aliquantulum mutat sententiam ob rationes, quas affert Sarmiento, & quam ibi refert. Sed in proprijs terminis hunc filium esse naturalem, & per consequens legitimari per subsequens matrimonium tradunt Gregor. Lopez. l. 2. tit. 15. verb. Si nō el hijo, quæst. 9. vers. sed pene, in fin. p. 2. Molina tomo. 1. de iustitia, tract. 2. disput. 172. colum. 2. vers. filius naturalis. Ceruantes. l. 11. Tauri. nu. 153. & ratio est, quia tempore, quo is filius natus est, iam ab inito erat impedimentū per præcedentem dispensationem, atque ita poterat inter eius

paren-

parentes matrimonium consistere absque; non aliqua dispensatione. Et quavis Baldus allegatis Goulielmo, Cyno, & Archidiacono. I. Paulus, in 1. lectura, numer. 2. ff. de statu homin. dicat filios conceptos ante dispensationem esse spurios, quamuis postea Pontifex dispenseret: at eos explicat Greg. Lopez ibi, ut intelligant quando concepti, & nati sunt ante dispensationem: scilicet si nati sunt post dispensationem, quamuis ante illam concepti. Quod si petas, an idem dicendum sit de prole nata post dispensationem expeditam a confessoro in foro conscientie? Dicemus de hoc disp. 34. nu. 47.

20 Tertia conclusio. Quavis Pontifex dispensans in matrimonio irrito, ut denuo celebraretur, dispenseret simpliciter cum prole ex eo matrimonio nata, non censetur in matrimonij radice dispensare, ac omnino legitimare prolem, sed tantum legitimat eam quoad spiritualia, sicut si extra matrimonium nata esset. Ratio est, quia cum dispensatio fit stricti iuris, non de omni legitimatione intelligenda est, sed de ea quae iure proprio conuenit Papae, ut Papa est. Ita videntur expressse tenere Ioannes And. cap. per venerabilem, numer. 30. qui filij sunt legit. & ibi Abb. num. 21. Cardin. nu. 9. q. 1. Anchar. nu. 22. Alex. de Neuo. num. 17. Prapost. ibi. §. quod autem. n. 74. ad finem. Idem Anchar. com. fil. 409. nu. 3. Martinus Laurentis de legitimatione. 2. n. 85. Antonius de Rosellis de legitimatione, lib. 2. in principio. n. 22. Capra consil. 1. nu. 7. Peregrinus de fideicommissis, art. 24. numer. 77. & 78. nam tractantes quando Pontifex censetur legitimare in radice matrimonij, & per consequens quoad temporalia, dicunt id non euenire, quando simpliciter vtitur verbo, dispensamus. Et eam rationem reddunt, quod dispensatio sit odiosa. Quod apertius constabit ex ijs quae num. sequenti dicemus. Quare idem existimo, licet dispensatio ea esset organo personae temporali Papae iurisdictioni subiectas. Tum quia militat ratio allata. Tum etiam quia cum has dispensationes Pontifex vt talis expedit, non censetur vt iurisdictione temporali ad legitimum, nisi id exprimat.

21 Imo quavis Pontifex in hac specie explicaret se prolem legitimam efficere, non censetur in radice matrimonij dispensatio, ac per consequens nec legitimum quoad temporalia: sed quoad sola spiritualia. Quia

non facta est in radice matrimonij precedentis, nec Pontifex se matrimonium legitimare explicat. Sic Gama desil. 471. nu. 2. p. 1. Molina lib. 3. de primog. c. 2. nu. 10. fin. & 11. initio. Peregrinus de fideicommissis. ar. 24. nu. 80. Cour. & Ludou. Lopez vbi eos, nu. 18. allegauit. Atque idem aperte colligitur ex doctoribus. n. 27. & 28. referendis, qui petunt ipsummet matrimonium legitimari, vt proles in radice ipsius censetur legitimata. Imo idem credo, quamuis hoc accideret in locis temporaliter subditis Papae. Quamuis enim in ijs non desideretur dispensatio in radice matrimonij, vt plenissima sit legitimitas: at cum legitimitas quoad temporalia, quoties non venit in consequentiam dispensationis factae in radice matrimonij, minimè procedat à Pontificis potestate, quatenus Pontifex est, sed quatenus dominus temporalis, & saepe numero in maximum aliorum preiudicium vergat, non est credendum ea velle Pontificem concedere, nisi explicet: eò vel maxime quod dispensationes has, vbi aliud non explicat, vt Pontifex expedit.

22 Quarta conclusio. Si Pontifex explicaret se dispensare in matrimonio irritò contracto, vt ex tunc, id est, vt ab initio contracto legitimum censetur: non dubium quin tunc censetur in matrimonij radice dispensare, ac consequenter legitime prolem quoad omnia, etiam in terris non subiectis temporaliter ipsi. Quia clarioribus verbis suam mentem dispensandi in matrimonij radice non potuit explicare. Sic enim dispensare, nil aliud est quam dispensare in matrimonio vt ex tunc (vt constat ex dictis, nu. 4.) Quare idem esset, si diceret se dispensare in eo matrimonio irritò, vt ex tunc. Quod probat ratio allata. Quare doctores, quos num. 20. allegauit, dicentes non dispensari in radice matrimonij, cum Pontifex vtitur verbo, dispensationis, caute non hoc dixere absolute, sed addentes, quando vtitur verbo dispensationis simpliciter: quasi aliud sentientes, vbi addita esset particula significans eam dispensationem ad ipsum matrimonij initium referri. Qualis est particula, ex tunc, quae alium sensum non potest habere, & hoc non accepto superflua profusa esset. Et ita fateatur omnes doctores.

23 At in tribus clausulis esse potest difficultas, an sit dispensatio in radice matrimonij, ac proinde legitime proles quoad omnia. Prima est, quando post initium inuolide

matrimonium dispenseret Pontifex, vt valide iniretur, addita hac clausula. *Prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo.* Videtur enim ea dispensatio in radice matrimonij facta. Quia quantus talis non sit, vbi nullus matrimonij contractus praecessit, (vt num. 14. probauimus,) id euenit, quia deficit fundamentum figurae matrimonij, ad quod retrahatur dispensatio. Et idem num. 16. coacti sumus dicere, verbum, decernendo, sumi proprie respectu prolis suscipiendae: improprie autem respectu susceptae: & aequiuatione non esse quoad omnia. Quae necessitas cum in hoc casu cesset, non est cur hanc aequiuationem, & disparitatem admittamus. Cum argumentum ab adaequatis sit validum, ac forte in iure: vt notant Doctores per textum. l. 1. ff. de legat. 1. & l. 2. c. communia de legatis. cap. translatio, de constitut. & Canillus de verborum significat. lib. 5. cap. 17. num. 8. Ceterum contrarium credo. Quia non est credendum velle Pontificem rem tanti momenti, & adeo raram efficere per clausulam tam generalem, & in omnibus huiusmodi dispensationibus apponi solitis, & etiam quando nullum praecessit matrimonium. Et minus inconueniens est, eam aequiuationem, & disparitatem admittere: cum ratio vrgens, & maxima inter utramque prolem disparitas, num. 16. explicata, haec suadeat: quam rem tam arduam in verbis tam generalibus claudi, admittere. Et argumentum ab adaequatis forte est, vbi non inuenitur diuersa ratio in utroque. Praeterea, quia rationes num. 21. allatae, & authorum doctrina ibi allegata, procedunt in hoc casu. Quare ob rationem eod. num. 21. adductam, existimo per hanc dispensationem concessam subiectis temporaliter Papae, non legitimari eam prolem, nisi quoad sola spiritualia: sicut contingit, quoad omnia alijs eadem dispensatio conceditur.

24 Secunda clausula est. Quando Pontifex dispensaret in eo matrimonio irritò, concedens licentiam permanendi, seu perseuerandi in illo. Quidam censent esse tunc legitimationem in radice matrimonij, ac proinde quoad omnia. Ducuntur, quia licentia permanendi in eo matrimonio iam contracto, confirmat implicitè illud: aliam concederet Pontifex contra ius diuinum naturale permanere in matrimonio irritò. Ergo ea dispensatio retro respicit matrimonij ini-

tium: sicut quando ipsummet matrimonium legitimat. Et confirmatur, quia fatentur Doctores (vt num. 28. videbimus) Papam legitimantem matrimonium censeri in radice eius dispensare. At nulla maior matrimonij legitimitas, atque approbatio exigitor potest, quam Pontificem eius nullitatis consensum concedere permanere in illo. Tandem, quia propria, & iuridica verbi, manere, permanere, perseuerare, significatio est, ita sequentibus copulata, vt eis vnicus actus in omnibus, & per omnia aequalis, ac cum eisdem qualitatibus efficiatur. Ita probat textus. l. fed & si manente, iuncta. l. praecedenti, in fine. ff. de precatio. l. si cum dies, in principio, ibi, *Manere arbitri. ff. de recept. arbitri.* vbi bona Glossa. verb. finiretur. l. alienatum. 67. in principio, ibi: *Quod ad huc in dominio venditorum manet. ff. de verbor. significat. & tradunt Molinaeus in consuetud. Parisiensibus §. 23. & sequentibus. Ruinus consil. 125. num. 8. volum. 4. Sed filij suscepti ex matrimonio post dispensationem contracta, sunt omnino legitimi, in quo matrimonio Pontifex concedit permanere. Ergo similiter virtute eiusdem dispensationis erunt natae omnia legitimi, vt potè quod est vnicus, & idem, habens utroque tempore eadem qualitates, eademque priuilegia. Et confirmatur, quia remanere est, quasi retro manere, & persistere. Vt testatur Rebuffus. dist. 1. alienatum, in principio. verfic. remanere pro superesse. Pontificia ergo intentio est, vt illi ita remaneant in matrimonio, quasi id retrahatur ad sui initium. Et idem huius sententiae sunt Boerius de decisio. 264. num. 26. Peregrinus de fideicommissis, artic. 14. num. 79. Et citatur pro hac sententia Antonius de Rosellis de legitimatione, lib. 2. in principio, nu. 19. vbi expresse ait esse dispensationem in matrimonij radice, quando ipsum matrimonium sustentatur, & in esse debito retinetur, non obstante impedimento. Sed postea ipsemet se declarat dicens hoc euenire, quando ordo dubio de matrimonij valore Pontifex declarat id esse validum. Et ita credo eum non esse huius sententiae.*

25 At credo per eam clausulam non solum non dispensari in radice matrimonij, verum existimo, nec prolem aliquo modo legitimari, etiam quoad spiritualia, licet illius mentio fiat. Ducor, quod nullum verbum in ea clausula sit, ad prolis legitima-

tionem pertinens, nec matrimonij radicem respiciens, vt in consequentiam legitimitur proles: sed ea verba ad meram in impedimento dispensationem referantur, vt eo sublato liceat in posterum coniugibus in priori matrimonio permanere, non eo modo, quo initum est, sed praestito nouo consensu. Non enim potest eorum verborum sensus esse, vt liceat illis eo pacto, quo initum est, & absque nouo consensu permanere in illo. Quippe id non subest potestati Pontificis: nec id matrimonium absque nouo consensu potest conualescere. (vt probauit lib. 2. disputat. 3. num. 2.) Sed cum hoc matrimonium ratum haberi possit, vel expresse consensu, vel tacito, possit in eo matrimonio perseverare: non ratione iniitij ipsius, quod peruersum fuit, & irritum: sed ratione huius noui consensu expresso, vel tacite post dispensationem habito. Cuius signum est, quod in dispensatione Pontificia eis verbis vtenti, addita sunt haec verba, quae in originali ego vidi: *Sea si vobis videbitur, illud de nouo contrahere, & in facie Ecclesiae solemnizare valeatis.* Quali detur electio dicto priori modo secreto, aut publico, contrahentibus consentiendi iterum, ac perficiendi prius matrimonium. Et confirmatur, quia cum Pontifex vtatur verbo dispensationis, res est stricti iuris, nec trahenda ultra id quod termini exigunt, vt ea clausula quippiam operetur. (vt ex Ioanne Andrea, & alijs diximus num. 20.) At quod ea clausula aliquid operetur, non desideratur, vt inducat dispensationem in radice matrimonij, ac ab eius initio impedimentum auferatur. Sed satis est à die dispensationis auferre impedimentum, vt ab eo tempore renouatis praedicto modo consensibus, possint licite in eo matrimonio male antea iniato perseverare. Non ergo aliquid amplius ei clausulae tribuendum est. Atque ita hanc partem teneat Couarruias 4. decretal. 2. part. cap. 8. §. 8. nume. 13. Henriquez lib. 11. de matrimo. cap. 20. num. 2. Ludouic. Lopez. 2. part. instructorij, vbi de matrimo. cap. vltimo, columna 2. cōclusionē 3. Imò bene addunt Couarruias, & Ludouicus Lopez, si praedictis verbis addita sit clausula, vt proles legitima efficiatur, eam legitimacionem non fore plenam, sed eo so-

lo iure censendam, quo si extra matrimonium omnino à Pontifice fieret. Ratio est, quia verba praecedentia, nempe, vt positus in vestro matrimonio remanere, nullatenus ad legitimacionem aliquam conferunt. Haec autem verba addita non legitimant prolem, nisi quoad spiritualia. (vt nume. 21. probauit.) Atque credo idem esse dicendum, licet haec dispensatio accideret in oppidis iurisdictionis temporalis Pontificis. Quod probant ea, quae dixi eo num. 21. fine.

Ad argumenta num. 24. proposita respondetur. Ad primum & confirmationem constat ex dictis num. praecedenti. Non enim concedit Pontifex permanere in eo matrimonio, quasi illud approbans, sed habito nouo consensu tacito, vel expresse post dispensationem. Ad vltimum, & confirmationem dic, id esse verum, quando subiecta materia non aliud postulat. Haec enim potius quam verba, est spectanda, (vt in alia materia, in qua verba praesens vrgent, dicimus disputatione 27. num. 3.) At subiecta materia necessario postulat, ne concedat Pontifex permanere in eodem matrimonio, cum eisdem qualitatibus. Ne rem nefariam concedi dicamus. Nec remanere significat semper retro manere. Vt bene ait Rebuffus ibi allegatus.

Vltima clausula est. Quando Pontifex vtitur verbo, legitimamus matrimonium. In quo euentu duplex est sententia. Prima ait non censi dispensatum in matrimonij radice, nisi addat, legitimamus, vt ex tunc. Quia id verbum potest referri ad legitimacionem, vt ex tunc, & vt ex tunc. Nulla ergo ratio cogit, vt censetur legitimatio prout ex tunc, ac in matrimonij radice. Sic sentiunt Abbas. cap. per venerabilem. num. 22. qui filij sint legitimi, & ibi Alexander de Neuo. num. 29. fine, & num. 30. & quauis non explicit se loqui, quod Pontifex legitimat matrimonium, & prolem: at clarè in hoc casu loquuntur. Nam relata opinione Ioannis Andreae dicentis ibi num. 30. censi in radice, quando legitimat Papa matrimonium, & prolem: & praemissa disputatione de veritate eius opinionis, tandem concludunt eam esse veram, quado Papa legitimat, vt ex tunc. Et eandem sequitur Henriquez lib. 11. de matrimo. cap. 20. num. 2.

Secunda sententia (& verior) asserit, quando Pontifex legitimat matrimonium, & prolem, censi dispensatum in radice

matri-

matrimonij, & consequenter plenissimam esse quoad omnia legitimacionem. Quia hoc nil aliud sonat, quam id matrimonium ratum haberi, & ac approbare, quasi ab initio absque aliquo impedimento esset contractum. Idem enim est, legitimum efficere id matrimonium, & prolem, quam approbare à sui initio, eo modo quo subest Pontificis potestati, qui est id approbare retrotrahe ad dispensationem ad sui initium, & radicem. Et ideo huius sententiae sunt loci. Andreas cap. per venerabilem. nu. 30. qui filij sine legit. & ibi Ancharr. num. 21. Cardin. num. 9. quaest. 1. (quauis hic solus nil dicat de prole) idem Ancharr. c. 61. 409. num. 7. Martinus Laudensis de legitimacione. art. 2. num. 85. Cellus consilij 1. num. 7. qui num. 20. addidit secus esse, vbi nulla proles mentione facta Pontifex simpliciter legitimat matrimonium, non addito, vt ex tunc. Cuius opinionem aperte sequitur Molina de primogen. lib. 3. cap. 2. num. 22. fine, vbi quauis hoc non dicat expresse, ait tamen omnino cōsultendum. Cellum in hoc loco, qui melius omnibus id declarat. Eandem tenent Couarruias. 4. decret. 2. part. cap. 8. §. 8. num. 13. Peregrinus de fidei committis, art. 24. num. 77. Ludouicus Lopez. 2. part. instructorij, vbi de matrimo. cap. vltimo, columna 2. conclus. 3. Et clarè videntur Cotareus, & Ludouicus Lopez idem sentire, quando Pontifex in legitimacione non meminit proles, at in precibus sit illi mentio proles ex eo matrimonio habitae: dicunt enim dispensationem in matrimonij radice esse, quando Pontifex illud legitimum efficit, facta ei mentione proles. Sed ego credo id non sufficere, nisi expresse, quoque dicat se prolem legitimare, vel addat, vt ex tunc. Quia potius coniecari potest contraria voluntas, cum facta ei mentione proles, matrimonium le-

gitimarit, omissa prole. Imò credere tunc prolem, nec quoad spiritualia legitimari. Cum nullum sit verbum proles legitimacionem respiciens. Sed dices, nil videri cōferre, proles mentionem fieri, cum ea in consequentiam legitimitati matrimonij legitimitur. Respondeo, cum ea verba, legitimamus matrimonium, non sint aperta: possunt enim intelligi de legitimacione, vt ex nunc, (vt prior opinio dicebat) oportere legitimacionis quoque proles mentionem fieri, vt vel sic iure optimo coniecitur voluisse Pontificem plenissimam in matrimonij radice legitimacionem facere.

Tandem ex his deducitur, quo pacto intelligendus sit Capra consilij. num. 7. vbi ait quauis Papa vtatur verbo legitimacionis, ita vt disposuerit, vt succedat proles, ac si de legitimo matrimonio orta esset, non esse eam legitimacionem propriam. Cum non sit reintegratiua, sed noui iuris collatiua, (vt eius terminis vtatur.) Atque ita concludit per ea verba non disponi in radice matrimonij, sed denuò conferri legitimacionem. At credo vere tunc Pontificem dispensare in radice matrimonij, si praemittens matrimonij irritè contracta dispensacionem, addat se velle, vt proles succedat in hereditatem, ac si ex legitimo matrimonio orta esset. Cum enim neque aliter id disponere in oppidis sibi non subiectis temporaliter, vt num. 1. diximus, manifestè declarat suam mentem esse, dispensare in matrimonij radice. Ne eius dispositio valere suo frustretur: Secus tamen esse, vbi nulla matrimonij irriti dispensatio praemittitur. Quia id non est in matrimonio dispensare, sed directè conferre proli ius legitimatitatis. Et in hoc casu vera est praedicta Caprae sententia. Atque ideo ea dispositio non valeret extra loca temporalis iurisdictionis Papa.

## DISPUTATIO OCTAVA.

An Pontifex valeat in impedimento voti solemnitis castitatis ordinis sacri, vel religionis, matrimonium dirimenti dispensare?

## SVMMARIVM.

Potest in voto ordinis sacri. num. 17  
An ad id deservetur causa publica? numero 2.

An expediat clericis concedere matrimonium, & posse dari causa iusta ad eam dispensationem generalem? num. 3.

An valeat matrimonium, si Papa absque causa iusta dispeset cum iniurato sacro, & hic pe-